Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26366
Copyright: Admont, Benediktinerstift

X

deretur. Isti magistri omnium dicendi preceptores non vi-
dentur sibi ridicule facere. cum id quod aliis pollicentur ab aliis
querunt. Si quis se fontes maximos penitus absconditos
aperuisse dicat. et hoc sitiens cum maxime loquatur. neque
habeat qui sitim sedet non irrideatur. isti cum non modo dominos se fon-
tium. sed se ipsos fontes dicant esse. et omnium rigare
debeant ingenia non putant fore ridiculum si cum id pol-
liceantur arescant ipsi siccitate. Cares a lisippo statuas
facere non isto modo didicit ut lisippus capud ostenderet.
mironis brachia praxitelis pectus polliclecium ventrem et
crura. sed omnia coram [palam] magistro facientem videbat. Ceterorum
opera vel sua sola sponte poterat considerare. Isti credunt eos
qui hec velint discere alia ratione doceri posse commodius. Pre-
terea nec posse quod ea que sumunt ab aliis exempla tam
esse accommodata ad artem quam propria. propterea quod in dicendo le-
viter unusquisque locus plerumque tangitur. ne ars appareat. In
precipiendo expresse conscripta ponere oportet exempla.
uti in artis formam convenire possint. et post in dicendo ne
possit ars eminere. et ab omnibus videri. facultate oratoris
occultatur. Ergo et ut magis ars cognoscatur suis exemplis
melius est uti. Postremo hec quoque res nos induxit ad hanc ratio-
nem. quod nomina rerum greca que convertimus ea remota sunt a
consuetudine. Que enim res apud nostros non erant earum rerum no-
mina non poterant esse usitata. Ergo hec asperiora primo
videantur necesse est. idque fit rei non nostra difficultate. Re-
liquum scripture consumetur in exemplis. Hec aliena si po-
suissemus. factum esset ut quod commodi esset in hoc libro id nostrum
non esset. quod asperius et inusitatum id proprie nobis attribueretur.
Ergo hanc quoque incommoditatem fugimus. His de causis cum ar-
tis inventionem grecorum probassemus. exemplorum rationem
secuti non sumus. Nunc tempus postulat ut ad elocutionis [precepta transeamus. Bipartita erit nobis elocutionis]
preceptio. Primum dicemus quibus in generibus semper omnis
oratoria elocutio debet esse. Deinde ostendemus que res